

ILLVSTRISSIMO, CLARISSIMOQVE VIRO

IACOBO BARENTIN

EQVITI, DOMINO DV BOVCHET, D'HARVILLIERS, DV PLESSIS, DES BERRVRIES, MAISONCELLES, &c.

TVSSANVS FOVCAVLT.

CVM verum illud ſit apud Medicos, parentum in filios cum ſemine mores tranſmitti; facilè conieci (Vir Clariſſime) eum apud te humanitatis omne genus experturum, quem Præſes Illuſtriſſimus, felicis memoriæ Parens tuus, ſingulari ſemper beneuolentiâ complexus eſt, & Philoſophicis olim diſputationibus intentum, ſuâ dignatus eſt præſentiâ recreare. Ne mireris igitur, non audere me nunc niſi ſub tuis auſpiciis in Medicam arenam deſcendere? Sat ſcio quod & quàm graue debilibus humeris onus immineat, & niſi præſtò ſis, qui vel proſtratum erigere, vel nutantem, velis ſuſtinere, infauſtum difficillimæ diſſertationis exitum vix effugiam: ex ea ſi feliciter emerſero, vt omnino tuus ero, tam hæreditario iure, quàm proprio; ſic totis enitar viribus, vt quæcumque me, tui tuorumque gratiâ, ſuſcipere iubebis obſequia, ea non minùs fideliter, quàm alacriter impleantur.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. IANVARII,

M. CLAVDIO TARDY, Doctore Medico, Præside.

An morbis à pituita, vomitus? à bile, dejectio? 952

AD præcautionem instituta vacuatio apposite perficitur phlebotomiâ & purgatione, sed & vno vomitu plerumque fieri potest, in pituitosis quidem ieiuno ventre & crebriùs, in biliosis rariùs, & à satietate. Ventriculus alimenti promptuarium, partibus omnibus humores distribuit, superuacanea vniuersi corporis excipit dum vehementiùs agitatur. Sic vbi procatarcticæ causæ vis innotuit, ea vomitu mox excludenda, ne corrupta in habitum refundantur, vel cuipiam parti obfirmata morbum inducant. Isdem præcauet morbos ex tempestatum mutatione. Helleborismus in fractura calcis, brachij, cruris, primo die vel altero inflammationem præuertit. Nec præcauendis solùm prodest vomitus, sed & curandis morbis quampluribus. Vniuersum corpus iuuat citra febrem, ideóque vlcus vteri ex totius vitio sanat, icterum. Sed partium quoque morbis à pituita, vel ex hac bili permixta. Nec similaribus modò, sed organicis quibusdam confert: vterum moderatus deprimit elatum: vehemens prolapsum erigit sursum: errabundum firmat: ischio hærentem dimouet: liberalem muliebrium profusionem cum fœcunditate largitur.

FONS humoris grauis supremum situm, leuis infimum ad mixtionis facilitatem obtinuit, & vt pituitæ impluuio æstus viscerum infringatur; quæ si copiosior in ventriculum decumba., suo lentore tumultum ciet ac vomitum, ad quem pituitosi procliuiores, pueri iuuenibus, Septentrionales Meridionalibus, obesi gracilibus, mulieres viris; & proinde faciliùs ferunt & iuuantur. Sed hyeme magis quàm æstate. Bilis ad intestina deriuatur, instar clysteris insiti vi pollens purgandi. Hæc ignis Microcosmi sursum rapta parens est omnium febrium in proprium canalem reuocanda, vt febris desinat cholagogis non emeticis, qui haud conueniunt nisi ab humore frigido vexatis, & dum bilis in ventriculum est effusa, quæ si caput impetat, hoc incandescit, phlegma exhauritur, nec ampliùs cerebrum cordi æstuanti præsidium est. Vomitus permultis vtilissimus, modò facilè vomant, sint crassi; nocet gracilibus, biliosis; licèt bilis partes superiores afficiat. Promoueatur radicibus, foliis azari, semine atriplicis, floribus anethi, iülis iuglandis, nunquam stibij puluere, cataputiâ, cyclamine, gratiolâ, ricino.

QVATVOR humorum fontes singuli propriis & proximis meatibus euacuant exuperantiam: cerebrum phlegma per os, cor sanguinem per nares, iecur bilem per aluum proximam, per eandem lien humorem fœculentum, serum, quatuor humorum commune vehiculum, per renes excernitur. Iidem morbos dum committunt imitatione naturæ, euacuandi sunt per ductum quàm maximè vicinum. Affectus partes supra diaphragma obsidentes, per superiora, qui infra purgatione indigent per inferiora. Licèt sæpiùs ac crebriùs praui humores proprios fontes & vicinas partes afficiant, quàm remotiores; si quando has inuadant, curatio per proximum ductum istius principij instituenda. Obsurdescentes, ophthalmici, comatosi & lassitudine vlcerosâ iactati, diarrhœâ biliosâ spontaneâ vel artificiali iuuantur. Nec arthriticis, hydropicis, & quibus in pulmone subest vlcus, aliáue in parte corporis vulnus, vomitus competit, sed deorsum facta purgatio. Ex humorum permixtione morbis quæ sit decernenda purgatio, indicant ipsi humorum fontes.

HYEMS tempestatum algidissima, in cerebro cumulat phlegmaticum succum, paritque ex ipso in capite ac thorace subiecto, frigidissimos morbos, qui vomitu curari debent. Æstiuus ardor bilem reponit multam, iecur, lienem, renes pessimè afficit, crebrósque in aluina regione morbos excitat, dejectione, haud vomitu curandos. Nisi bilis ex ciborum corruptione ventriculo coërceatur, vel in hunc ex vniuerso corpore decubuerit, túncque non pituitam modò, sed ipsam bilem sursum purgabis, quà enim vergit humor est educendus: ventriculus vix nisi vomitu purgari potest. Quare graciles, biliosos & facilè vomentes aliquando licet purgare sursum æstate, nunquam hyeme: Ex aduerso pituita, cuius vacuatio fieri debet sursum, si quandoque deorsum purganda; hyeme potiùs, quo tempore potest eâ copiâ produci, vt eam vomitu agitare non minùs periculosum, quàm in leucophlegmaticis, qui per initia deorsum, dum conualescunt, sursum purgandi. In graui lienteria ex adhærescente intestinis & pyloro phlegmate, nunquam sursum purgabis in ipsius vehementia, metu suffocationis & nimii confluxûs in partem affectam. Quamquam diarrhœa, tenesmus, dysenteria, sicut & lienteria ex decubitu pituitoso prodeuntes, vomitu vt proprio præsidio curari debeant. Pituita semper sursum æstate, aliquando bilis; hyeme contrà bilis semper deorsum, necnon aliquando, pituita. Opportunitas duos humores purgandi sursum crebrior æstate, deorsum hyeme. Pro vnius humoris dominantis ratione, vomendum sex menses hibernos, æstate purgandum.

HVMORIS propensio propter anni morbíque tempus aliquando vincit indicationem ab ipsius fonte desumptam: vincitur à natura particulari vomere nescia, præ constitutione pulmonis molli, rara & inepta vomitui structura, colli scilicet ac pectoris; quòd si carinatum, prominent scapulæ, comprimuntur œsophagus & viscera, situs diaphragmatis vitiatur: hinc vomendi difficultas: Nec potior est indicatio petita à morbi specie & partis affectæ natura, eâ, quæ ab humoris scaturigine. Idec phthisicos ex fluxione pituitæ bili permixtæ, vel salsæ, cuius generatio in capite, sursum purgare licet, melancholicos deorsum liberaliùs. Febris quartana secundaria ex humore melancholico, deiectione, primigenia plerumque humoris crassi pituitosi soboles, pueris familiaris, vomitu curari debet. Lienosi ex bilis congestione secessu, à pituita, vomitu vacuandi. In apoplexia, otalgia, pulmonis inflammatione pro humoris dominio, eadem curandi ratio. In quam sedem corporis irrepserit nescia refluxum pituita meatu proximo vacuetur, diarrhœâ, perirrhœâ, sudore; licèt à primo naturæ instituto sit alienus. Hinc plurimi morbi mulieribus proprii egent purgatione per inferiora, quod vterum morborum muliebrium causam afficiant infra diaphragma situm, etsi prodeant à pituita, quæ ratione fontis vno vomitu excludi deberet.

Ergo morbis à pituita, vomitus, à bile, deiectio.

Proponebat Lutetiæ TVSSANVS FOVCAVLT, Parisinus, A.R. S. H. M. DC. XLVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Bourdelot.	*M. Claudius Perrault.*	*M. Cyprianus Hubault.*
M. Carolus le Breton.	*M. Tussanus Fontaine.*	*M. Guido Patin.*
M. Quintinus Theuenym.	*M. Ioannes de Monstrœil, Schol. Professor.*	*M. Iacobus Theuart.*